



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 7. Pontificis ærarium a Valentino Duce sublatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.
A.C. 1503.

§. VII.

Pontificis ærarium a Valentino Duce
sublatum.

Raynald. hoc
ann. num. 12.
Volaterran.
ut supra.

Alexandro fati functo, Valentini Dux gravissime decumbens, Michaelitio negotium dedit, ut omnes Pontificii clavis portas sedulo clauderet; idem ipse Cardinalem Casanovam, quem forte obvium habuit, insequeretur committens, eum e fenestra dejiciendum, aut laqueo suffocandum, nisi quantocius Pontificii thesauri claves traderet, quas ille minis territus nulla mora Michaelitii manibus consignavit: hic vero inde scrinia scrutatur, atque omne aurum, argentumque, quod defunctus Pontifex corraferat, confestim auferri jubet. Ferunt, centena Ducatorum millia, ab eo fuisse inventa; id tamen a veritate deflectere

INCERTO AUCTORE, alii conscio duntaxat Valentino Duce venenum fuisse porrectum scribant, denique alii totam hanc relationem ad fabulas & satyras rejiciant, alii Papam ex morbo naturali decessisse referant. Vide Petrum Bembum l. 6 hist. Venet. Stephanum Forcatulum lib. 4. de Philosoph. Ægidium Cardinalem, Victorellum in addit. ad Ciaconium, Bzovium, & alios.

flectere videtur, cum paulo ante Pontificis ærarium, ubi Valentini Dux pecunias postulabat, penitus exhaustum memoraverimus: Certum porro est, Michaelitium, quicquid reperire poterat, abstulisse, ac thesauro in securitatis locum deportato omnes portas aperuisse, mortemque Alexandri publicasse, ejus domesticis mox Pontificis vestiariam deprædantibus, quod tamen minus pretiosum erat.

Sæcul. XVI.

A. C. 1503.

§. VIII.

Alexandri VI. exequiæ.

Post hæc defuncti Pontificis cadaver ad Vaticanam Basilicam defertur, Cardinales vero, ut funebri pompæ assisterent, ad Ecclesiam S. Mariæ supra Minervam venire rogantur. Monentur quoque omnes Clerici ac Religiosi, ut Palatium accederent, funus ad Ecclesiam S. Petri comitaturi, ad quam Pontificis corpus a quatuor pauperibus deferretur, trecentis aliis, qui cereas faces albi coloris gestabant, præcedentibus. Instructa funebri hac pompa, contentio exorta est inter milites, ad agendas in Palatio excubias relictos, necnon inter alios pro deferendis facibus selectos; cum enim hi ab illis per vim facibus spoliarentur, tam vehementer utrinque